

4 56500(86)  
CARMEN GRATULATORIUM

ad

*Serenissimum ac Celsissimum Principem ac Dominum,  
Dominum*

GEORGIUM

HASSIÆ LANDGRAVIUM,  
COMITEM IN CATTIMELIBOCO,  
Deciâ, Ziegenhainâ, Niddâ, Isenburgo, Budin-  
gâ, &c. Dominum meum Clementissimum, &  
Evergetam munificentissimum,

DE RESTAURATA,

HUC USQUE SUSPensa, ACADEMIA GIES-  
SENSA, ANIMO SVBIECTISSIMO DEDVCTVM, PVBLICE  
in ipso restorationis actu affixum, & serenissimæ ipsius  
celsitudini, restandæ humilimæ observantiæ ergò oblatum,

à

CASPARE EBELIO

GIESSA HESSO, PHILOS. M. PROF. IBID. ORD.  
& Pædagogiarchâ.



7 6  
Univ.-Bibliothek  
Giessen.

GIESSÆ,  
TYPIS CHEMLINIANIS.









## GRATVLATIO

in

restorationem Academiae Gießenæ.

**G**Rande opus ad superi exequeris nunc Regis honorem,  
O patriæ Pater & Princeps præcelsè, GEORGI!  
Quando tuis hic auspiciis schola nostra resurgit,  
Fortunante id opus, superoq; iuvante Monarcha

Vergat ut ad nostræ totius commoda gentis;  
Imò Christiadum populi totius in usum,  
Quem variis eheu! nunc subiecere periclis,  
Ingentes sathanae fraudes & acerba potestas.  
Lustra abièrè novem, quum summi Numinis almo  
Instinctu, vigili curâ, fructuque perenni,  
Hanc ita divino primum fundaret honori,  
LV DVV ICVS Princeps, genitor tuus, ille FIDELIS,  
Nempe ut in hac crebrò Moysis, Pauliq; legantur,  
Atq; Prophetarum, è doctis pia scripta cathedris,  
Et sacra salvis fimentur dogmata verbi,  
Tantâ religionis opus pietate fovebat!  
Iustitiæ nec cura fuit minor, inde doceri,  
Leges quaq; diæ & civilia jura volebat,  
Et feuda, & canones, & cetera singula, magnus  
Quæ vel Baldus habet, vel Bartolus, aut quoq; Iason,  
Aut reliqui, legum quæis magna scientia magni  
Nominis æternum decus hic famamq; reliquit.  
Tum, quæ porrò docent Medicâ solerter in arte,  
Galenus, Geber, Hippocrates quoq; Celsus & Hermes,  
Purgatus magicis Paracelsus & Avicennas:  
Quicquid Aristoteles, Plato, & Sophos omne Sophorum,  
Arte laborarunt, hæc & quoque singula tandem,  
Cottidiè ad pluteos jussit discussa sonare.



CARMEN GRATVLATORIVM.

Egregium factum ! sua cui praconia laudum  
 His terris nunquam deerunt meritissima, quodq;  
 Inviētū Imperii caput, atq; Monarcha RUDOLPHVS  
 Austriacus, vitā eternā dignissimus heros,  
 Cujus & in paucis meritō memorabile nomen,  
 Tum quoq; firmauit calamo, magnisq; sigillis  
 Muniuit, nostrisq; lubens Academica Musis,  
 Jura dedit, nullis unquam moritura diebus,  
 Europa summo quoderat tum Principe dignum.  
 Grande opus hoc per te dum, Princeps magne, resurgit,  
 Principioq; DEVS per fervida vota vocatur  
 Cunctorum, tam sancto operi benedicere semper  
 Sanctā ē sede velit, ceu fons & origo scholarum,  
 Atque suā omnipotente manu, promptissimus idem  
 Adversus sathanam atque alios id ritē tueri  
 Oppositos hostes, hoc qui, omnia dira precantes,  
 Insano linguae strepitu proscindere tentant:  
 Intereaq; hujus scholici solennia festi  
 Auspice te, tanto pariter celebrantur honore,  
 Et sumptu eximio, & leto clangore tubarum;  
 Quis te jam dubitet similem pietate parenti?  
 Quis dubitet memorem te religionis a vitæ,  
 Hujus velle quidem tristes sarcire ruinas,  
 Et pia ferre simul dubiis solatia rebus?  
 Sic iterum felix quondam tua GIESSA resurget,  
 Pristinum eique decus reparabitur, inter & urbes  
 Splendebit reliquas merito, ceu lumine plena  
 Splendescit stellæ inter vaga Luna minores.  
 Tantus amor patriæ tibi, Princeps inclyte, tanta  
 Cura Ecclesiæ, patriis quæ militat arvis,  
 Multisq; est afflicta malis, variisque periculis.  
 Tam quoque cor patrium princeps alis, optime Princeps,  
 In tibi subjectos, subjectorumque salutem,  
 Pro qua tot noctes tibi nā! vigilantur amara:  
 Pro quā tam celebrem nobis hic instruis actum,  
 In laudemque DEI, felici niteris ausu,



# CARMEN GRATULATORIUM.

Restaurare scholam qua huc usque sepulta jacebat.  
 Precipue duro hoc & acerbis undiq; fatis  
 Transacto penitus, quod viximus hactenus omnes,  
 Tempore; quo Martis furor atque insania cunctas  
 Fervè evertit opes patriæ, malaque intulit illa,  
 Per spurios fidei fratres, fictosque sodales,  
 Quæis sathanas vix ipse queat pejora patrare.  
 Tam reprobis horum conatibus, undique vera  
 Religio suppressa jacet; jacet ipsa priorum  
 Seclorum pietas, quam ferventissima certè,  
 Illius inq; locum scelerum maledicta propago  
 Successit; sunt versa simul jus fasque; repulsa  
 Scita magistratus, jurataq; fœdera; leges  
 Sublate, mutæ vè silent; studiisq; piorum  
 Nullus honos; odiumq; furens, & fœda voluptas,  
 Fastus & ambitio, scelerataque hypocrisis unâ  
 Regnant, attolluntque suos ad sidera fluctus,  
 In summa, miseris quæ summa injuria, jus est.  
 Hæc huc usque fuit facies mœstissima rerum  
 Sic cheu, cecidit patria nunc gloria nostræ!  
 Tantum vexavit miseros insania belli!  
 Tam fuit in nostros hæc ingeniosa dolores!  
 Dum mala tanta vigent, & vix habitura putatur  
 Pax tranquilla locum, subito, spem præter & omnem  
 His tandem saturata malis, pœnisq; quiescit  
 Ira Dei, populiq; sui præce supplice victus,  
 Respexit propior miseros, pacemq; remisit.  
 Scilicet hæc est summa DEI clementia, sicque,  
 Omnia cum desunt, Domini miseratio præstò est,  
 Quam nunc experti toties, lato ore canemus,  
 Clementemque Deum toto celebrabimus orbe.  
 Hanc & is ipse DEUS per te, Celsissime Princeps,  
 Egregio hoc voluit nobis ostendere factò,  
 Factò, cui geminum nostra hæc non audiit ætas:  
 Egregium factum! et te, tanto Principe, dignum:  
 Principedignus honos, divina laudis honori,

In tem-




CARMEN GRATULATORIUM.

*In templo, inque scholis, patria sarcire ruinas,  
 Et pietatis opus cum religione fovere,  
 Ac diras sathana penitus contundere fraudes.  
 Ergo festa dies salve, suavissima nobis  
 Et toti patriæ nostra, votisque piorum,  
 Exoptata diu, vasto venerabilis orbi.  
 Salve etiam nobis Princeps Celsissime GEORGI!  
 Hassiæque domus columen, laus unica, salve!  
 Cui meritò aternas referent pia secula grates,  
 Hærebitque animis cunctorum hæc gratia facti,  
 Quam benedicta TRIAS per præmia mille rependat,  
 Præmia non tantum præsentis maxima vita,  
 Sed quoque præcipue alterius, vitæque perennis:  
 Hæc tua nam pietas, variisque exercita curis,  
 Sedulitas, virtusque simul generosa merentur,  
 Tu meritoque tuo, generosa mente reportas.  
 Salve tu pariter, verè Illustrissima biga,  
 O Princeps LUDWIGE, tuo cum fratre GEORGO!  
 Musarum unius amor patriam vos traxit ab urbe,  
 Splendida quò nostra hæc in visere festa queatis,  
 Atque Patris supplere locum, mentemque benignam  
 Declarare simul cunctis præsentibus aptè:  
 Salve, inquam, adventu felix, Celsissima biga!  
 Salve Academia Doctores atq; Magistres!  
 Salve etiam toti nunc exoptata phalangi,  
 Quæ posthac studiis hîc indefessa vacabit;  
 O decies salve! dignas quis fundere grates  
 Pro tantis possit meritis? Supplere voluntas,  
 Quæ nostris desunt nunc viribus, ipsa tenetur,  
 Paucaque verba loqui, tantarum in pondere rerum:  
 Semper honos, his pro meritis, laudesq; manebit:  
 Fama tenax vestrum hoc facinus super astra locabit,  
 Æternoque simul dignabitur omne triumpho.  
 Tu nunc ingredere ô felix Academia! GIESSAM.  
 E studiisque tuis totum tua fama per orbem  
 Crescat: mille tibi, discentes atque docentes,*



# CARMEN GRATULATORIUM.

*Præstò semper eant, & mente & corpore sani,  
 Nobile depositum hoc qui magnâ laude tueri,  
 Ad serosq; queant trans mittere ritè nepotes.  
 At tu GLESSA tuis felix heroibus illis  
 Totâ mente tuâ jam nunc nova juba tolle:  
 Ante hac im pavidu clarebas Martis honore,  
 Quæ, sic dante Deo, post artis honore virebis,  
 His etiam studiis crescens quoq; fama per orbem,  
 Migrabit, referetq; tuas ad sidera laudes.  
 Gaude! animoque tuos promo nunc suscipe alumnos,  
 Quicquid & officii debes & quicquid honorum  
 Accumula cultuque simul, mactare decenti  
 Sidera perge tui Clarii pralustria coetus,  
 Hoc tua cœu spondet pietas, antiqua fidesque,  
 Majoresque suo exemplo docuere! vicissim  
 Omni genisque bonus, tum tu decorabere felix,  
 Atque opibus, sic dante Deo, ditata virebis.  
 Tandem summe Pater, qui munera tanta dedisti,  
 Grata tibi læto cantamus carmina corde,  
 Qui solidam pacem, quæ præstantissima rerum,  
 In terris hominum generi quas tute dedisti,  
 Et placidas artes voluisti reddere rectis:  
 Poscimus, alme DEVS, genibus tua Numina flexis,  
 Sit tibi sit summa nostra hac Academia cura,  
 Cum studiis nostris tu singula capta guberna,  
 Ad laudemque tui quoque nominis illa deinceps  
 Dirige, ut in cunctis servetur congruus ordo:  
 In vera da pace simul nos vivere semper,  
 Et quod obesse potest, genus omne repelle malorum  
 Ut sic porrò tuæ divinæ laudis honores,  
 Pro meritis grati, corde uno, uno ore canamus.*



Eteostichon, continens cum pio voto,  
 annum restorationis.

*Christe Schola Mexa Vge, PrInCeps hanC GeorgVs honorI,  
 NVnCpLantat Glessa VrsVs In Vrbe, & Vo.*

F I N I S.










## GRATVLATIO

### Colour & Grey Control Chart

Danesh  
Picta



*Quem variis eheu ! nunc subjecere periclis,  
Ingentes sathanae fraudes & acerba potestas.  
Lustra abiire novem, quum summi Numinis almo  
Instinctu, vigili curâ, fructuque perenni,  
Hanc ita divino primum fundaret honori,  
LV D V V I C V S Princeps, genitor tuus, ille FIDELIS,  
Nempe ut in hac crebro Moysis, Pauliq, legantur,  
Atq, Prophetarum, è doctis pia scripta cathedris,  
Et sacra salvifici firmentur dogmata verbi,  
Tantâ religionis opus pietate fovebat !  
Iustitiæ nec cura fuit minor, inde doceri,*



*Tum, quæ porro docent Medicâ solerter in arte,  
Galenus, Geber, Hippocrates quoq, Cous & Hermes,  
Purgatus magicis Paracelsus & Avicennas:  
Quicquid Aristoteles, Plato, & Sophos omne Sophorum,  
Arte laborarunt, hæc & quoque singula tandem,  
Cottidie ad pluteos jussit discussa sonare.*

A 3

Egy